



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jus Canonicum Ad Libros V. Decretalium Gregorii IX.

Huth, Adam

Augustæ Vindelicorum, 1732

23. De delictis puerorum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63433)

tus, potest nihilominus accusari denuo, & contra eum inquiri. arg. c. ult. h. t. L. 3. §. 1. ff. de pravar.

Q. 2. Quæ sint pœna Collusionis? Resp. Si circa beneficium Ecclesiasticum facta sit, & probetur esse facta, privatio beneficii perpetua quoad utrumque colludentem. arg. c. 3. h. t. In Criminalibus cum incurfione infamiæ est pœna arbitraria pro modo criminis, & qualitate circumstantiarum. L. 2. & 4. ff. de pravar.

TITULUS XXIII.

De Delictis Puerorum.

Q. 1. An & qualiter puniantur? Resp. I. Infantes, id est, ii, qui septimum ætatis annum necdum compleverunt, nullâ penitus pœnâ plekti possunt. Ratio redditur in L. 12. ff. ad L. Cornel. de Sicar. Idem ferè dici oportet de pueris infantia proximis, id est, septennium non multùm egressis, sive omissionis, sive etiam commissionis delicta patrârint. §. 10. Inst. de inutil. stipulat.

2. Pueri doli jam capaces & pubertati proximi ob delicta commissionis non sunt immunes à pœna legali extraordinaria. c. 1. h. t. pœnæ autem ordinariæ non subjacent regulariter, nec torqueri possunt. L. 1. §. 33. ff. ad S. C. Syllan.

3. Minores pubertatem adepti, id est, egressi quidem 14. non tamen 25. ætatis annum à pœnâ quidem ordinaria exempti non sunt, præsertim in delictis

gravioribus, & in delictis commissionis, ubi ipse emendationis non adest. *L. 9. §. 2. & L. 37. §. 1. ff. de Minor.* ordinariè tamen possunt & solent mitius puniri, quàm majores. *L. 108. ff. de R. I.*

Q. 2. An pater teneatur ex delicto filii pubertatis proximi aut minoris ad multam pecuniariam, ad quam hic condemnatur? Resp. Neg. si nec patericeps delicti, nec in filii correctione negligens fuit, nec etiam factus est exinde ditior. *L. 22. & 26. C. de pæn. L. 1. & L. 3. C. ne fil. pro patre.* nec tenetur dare legitimam, ut filius exinde solvat. *q. L. 1. §. 21. ff. de collat. bon.* Valeret tamen Lex statutaria, quæ Patrem pro filio obligaret. Ratio, quia cum pater se possit obligare pro filio per pactum, poterit etiam per statutum obligari, imputate quod cederet in bonum publicum, & parentum in educandis liberis diligentiam acueret.

TITULUS XXIV.

De Clerico Venatore.

Q. 1. Quæ sit hujus cum prioribus Titulus con- nexio, quid venatio, & quotuplex? Resp. Cum dictum sit hucusque de delictis, quibus personis communibus, ab hoc usque ad 31. Titulum inclusivè de delictis vel statui soli Clericis propriis vel eum dedecentibus agitur, & quibus primò de Venatione. 2. Venatio est perfectio & occupatio animalium, quæ cælo, terrâ & aquis nascuntur, & nullius sunt. 3. Venatio alia est